

97

EPITAPHIVM
apellae
IOSEPHO ^{Suß} OPPENHEIMIO
ob nefanda facinora, conatusque impios
anno MDCCXXXVIII
pride Nonas Februarias
iure optimo
in furcam ferream acto, et caueae inclusio
scriptum
ab vno Societatis Latinae Ienensis So
Daliūm Honorario, Hungaro

Impressum Tübinger, anno M DCCXXXVIII

In bibliothecam Hungaricam
quae Vilnusberg est
mittit
aucto
Dan. Haywood

Sueuica gens isthoc me iam dignatur honore ,
Altior vt terra sim , propiorque polo.
Ante meos prostrata pedes ea saepe iacebat ,
Fundebatque humiles supplice voce preces .
Nunc caput illa meum furca suffigit in alta ,
Sum pueris risus , ludibriumque notis .
Theta nigrum multis scripsi pro crimine iudex ,
In Graiorum Pi nunc agor ipse reus .
Qua merito quondam malus alchymista pependit ,
Nunc mihi pro poena ferrea furca datur .
Furca super quatuor propendens dura columnis ,
Longa decem , decies quinque sed alta pedes .
Ferrea , quam cernis , caueae instar , peruria ventis ,
Vrna rapax animal purpureumque tenet .
Aut Iunonis auis , cristi inflata superbis ,
Aut harpyia ferox , forsan vtrumque fui .
Haec ego sperassem , scansurum culmina tum me ,
Quando dabit flamas vnda , vel ignis aquas .
Ister ad occasum quando fluet , Albis ad ortum ,
Quando feret stellas terra , polusque feras .
Crudeles diui ! crudelia fata ! sepulcrum
In tumulis merui regum ego marmoreis .
Nec pollinctor adest , nec , qui mihi lumina claudat ,
Nec , qui deploret , condat humoue caput .

Me

Me miserum ! quoties oriensque cadensque videbis
 Me sol : hic tua nil , Mose , statuta valent.
Auri sacra fames ! quid non mortalia cogis
 Pectora ? quo caput heu non mihi triste trahis ?
Si recutite mihi iam non succurris , apella ,
 At solita vlcisci pergit Fraude nefas.
Manibus , oro , meis infantum caede parenta ,
 Quos , vbicunque potes , surripe Christicolis.
O Abrahame pater , misero succurre nepoti !
 O Isace , tuam porrige , quaeſo , manum !
O Iacob , fer opem , per amores oro Rachelis !
 Non ea ſcala haec eſt , quae tibi viſa fuit !
O Adonai Elohim , vel tu miferere precantis !
 Cur noſtras ſurda deſpicis aure preces ?
Schem nihil hamphorasch in te eſt virtutis , vt olim ?
 Aut ego te falſa relligione colo .
Fraudauſi multos , fateor ; Talmudis at hostes ,
 Fallere quos noſtræ eſt relligionis opus .
Qui mutilant Moſem , ſua nec praeputia ponunt ,
 Et queis ludibrio , gens tua ſancta , ſumus .
Fas erat Iſiacos olim ſpoliare tyrannos ,
 His nihilo eſt melior natio Christiadum .
Nunc veteratores cunetiſ dominantur in aulis ,
 Tantorum patiar num ſcelus vnuſ ego ?
Aſt nil verba iuuant , nil numina , guttura fune
 Lictor frangit , onus pendeo triste crucis .

Nunc quid fata queror ? mea culpa, est maxima culpa :
Sexcentas , fateor , me meruisse cruces.
Pendo; sed quid tum? Facilis iactura sepulcri est :
Quae non terra tegit, contegit ossa polus.
Os sublime mihi finxit natura , tuebor,
Non terras, oculis alta sed astra meis.
O caecas mentes, quae non nisi terrea spectant !
Aethereis , mihi mens est, inhiare bonis.
Me si praetereat vel Caesar , vertice nudo ,
Salve , sacra Themis! dicet et ille , vale.
In tumulis non est requiescere, vera voluptas ,
Nox ibi perpetua est, ferreus atque sopor.
Sol mihi nunc oritur , nunc occidit aureus , aura ,
Lumine, prospectu , liberiore fruor.
Nunc gelidum placidi corpus clementia veris:
Nunc aetas recreat sole calente genas:
Nunc fructus monstrat pulchris autumnus ab hortis:
Nunc niueo algentem tegmine vestit hiems.
In tumulis putres infestant corpora vermes ,
Est a serpentum semine nulla quies.
Insultat turpis bufonum turba , ceraстae
Reptant, et praedae sibila tetra mouent.
Nocturni lemures terrent, male membra sepulta
Saepe lupos pascunt, carniuorosque canes.
Exuuias turbat vespillo ligone , profano
Dissicit, et calcat quilibet ossa pede.

Si

Si quid honoris inest monumentis, forsan id est, quod
Mole premunt clausum saxa cauata caput.
Quando vel exsequias it plurima turba virorum,
Ilicet, aut alta praefixa voce monet.
Aut lessum tristi modulamine cantat Apollo,
Aut funus deflent filia, nupta, nurus.
Post haec cunctarum veniunt obliuia rerum,
Totaque sic hominis fama sepulta iacet.
Ast ego dignus eram fato meliore, quod ales,
Heri praedicens, *Cras meus*, inquit, *eris*.
Turba meum funus comitatur maxima, quanta
Principis exsequias vix comitata fuit.
Milite stipatus, celsam deducor in arcem,
Quod plus est, nostro funere nemo dolet.
Hic mihi pro tumba pendens domus est data, clathris
Iudaicas prohibens furis ab aede manus.
Fur etenim fueram, furaci furfure natus,
Ferrea fert furem furca trifurciferum.
Dives eram; sed quae me nunc perturbat egestas?
Nemo meos numos nunc numerare potest.
Murice me Tyrio vestis decorata tegebat;
Nunc quoque coccinea pendeo veste nitens.
Arx mihi firma data est, sublimibus alta columnis,
Quo scala adscensum non nisi longa dedit.
Si neque me coniux, nec filia, nec nurus vlla
Deflet; deflebunt me mea scorta nouem.

Lanigerae nulli parcunt sub sole sorores ;
Iudice me , Parcae nomen et omen habent.
Praescindunt aliis cunctis sua stamina vitae;
At parcunt restis rumpere fila mei.
Fors , quia sunt tenui reliquorum pendula filo
Omnia; sed colli grandia fila mei.
Magnus erat sacrae flammis Herostratus aedis ;
Nominis est maior fama futura mei.
Aeternum post me quia nomen in orbe relinquo ,
Hanc tragicam fabulam natio cuncta leget.
Doctaque Musarum de me monumenta loquentur ,
Vlla mei ne sit nescia posteritas.
Scribent indocti , docti quoque carmina scribent ,
Quae salis et piperis sunt habitura satis.
Perflant me venti , caueae rubraeque fenestrae
Hos intro rapiunt , proiiciuntque foras.
Hi mecum ludunt , agitant mihi flamine cunas ,
Ne vitium capiant , Aeolus ossa mouet.
Nunc me purpureo reficit Ieuis Eurus ab ortu :
Nunc Zephyrus calida mollis ab Hesperia :
Nunc Boreas furdas mihi permeat arcticus aures :
Nunc tumidus sordes abluit imbre Notus.
Nec solus maneo ; sunt , qui solantur , amici ,
Qui mihi tarda iocis tempora fallat , adest .
Coruorum pullata cohors me visitat vltro ,
Et , sperare suo *Cras* meliora , iubet.

Si

Si possent, vellent rostris dare basia mille,
Mox et alauda suum *tirlire rile* canet.
Vna sedens nuper de multis hac trabe cornix,
Est bene, non potuit dicere, dixit, *Erit*.
Me quoque plangentem resonabilis erigit echo,
Ista dat ad querulos verba reflexa sonos:
Me miserum, quam me torquet crux aspera! Spera.
Falso tu saluum me fore reris. Eris.
Ad vitam furca nunquam descenditur. Itur.
Spes humana crebro pectora fallit. Alit.
Hac ego spe fretus, psallam mihi carmina laetus,
Haec est sub dio spes mihi praesidio.
Tu quicunque vides, et me, mea fataque, rides,
Ride, sed mihi ne fors sociere, vide.
Tunc ego me talem laetabor habere sodalem:
En tibi cedo locum! fac mihi, scurra, iocum.
At tu, de Caci qui transis gente rapaci,
In similes caueas ne venias, caueas.
Hunc finem furum, funem bene respice durum,
Ne sero doleas, nunc tua furta fleas.
Hanc mihi si vestem rapis, imprecor hunc tibi restem,
Si caligas demis, te premat aequa Themis.
(Si femorale cupis, sis, precor, esca lupis)
Retrahe, latro, manum, nam, si nudaueris etc
Quas tibi agam grates? post mihi lambe n etc
Vos socii Hamanis! sceptris ne fidite vanis,
Ex aula scalis itur ad astra malis.

Io-


Iosephi mores , qui ad Nilum gessit honores ,
Regula sint vobis , non gula nostra , probis .
Suß ego Iosephus fueram , sed , amica luto , Sus ,
Leprosus Naman , moribus alter Haman .
Scire meas laudes quisquis cupis , accipe : Fraudes .
Si vis scire genus , Pluto erat , atque Venus .
Nulla in me virtus , olui , ceu sartor et hircus :
Nomine grande decus ; re scabiosa pecus .
Hunc igitur porcum merito detrusit in orcum ,
Euomuit tellus Sueuica tale S C E L V S



Umg. VI 6

1077





EPITAPHIVM
apellae
IOSEPHO Suß OPPENHEIMIO
ob nefanda facinora, conatusque impios
anno MDCCXXXVIII
pride Nonas Februarias
iure optimo
in furcam ferream acto, et caueae inclusō
scriptum
ab vno Societatis Latinae Ienensis So
Daliūm Honorario, Hungaro

Impressum Tubingae, anno M DCCXXXVIII

In bibliothecam Hungaricā
quae Vilnusbergat ell
mittit
aut
Dan. Haymo